Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

C ante Y

urn:nbn:de:bsz:31-107476

Visual Library

tas, in eorum regione conſtituit Cuthæorum gentem, quæ priùs in interiori parte Perſidis & Mediæ morabatur. Diodorus Siculus hoſce populos Coſſæos vocat, cùm ita ſcribit: Alexander Macedo Coſſæorum gentem ſumma fortitudine præditam, quæ Mediæ montem incolit, ſuperavit. Hi ſacrum gallum lucis nuncium coluêre, & in cœlum poſuêre.

Cutilia, Agri Reatini lacus eſt, in quo ſylvoſa inſula innatat, quæ nunquã die & nocte eodem permanet loco. Autor Plin. lib. 2. cap. 95, & lib. 3. cap. 12.

C ante Y.

Cyalus, κύαλος, Vrbs Lydiæ à Iove condita: gentile Cyalius. Stephan.

Cyănē, es, κυανῆ, Nympha Sicula, de qua vide in APPELLATIVIS, in voce CYANE, & paulò pòſt in dictione CYANIPPVS.

Cyănē, es, κυανῆ, Oppidum eſt Lyciæ, apud Plin. lib. 5. cap. 27. ❡ Eſt item Cyane fontis nomen in agro Syracuſano, in quem Poetę fabulantur ejuſdem nominis nympham fuiſſe commutatam, quum Plutoni Proſerpinã rapienti obſiſtere conaretur. Hic Anapo miſtus, juxta Ortygiam inſulam in mare illabitur. Ovid. 3. de Ponto: Quaq; ſuis Cyanen miſcet Anapus aquis.

Cyănĕæ, [κυάνεαι. Ger. Zwo kleine Inſlen underhalb dem engen Meerſchlund in Thracien, heiſſen jetzt Pavonare.] ſive Cyaniæ, Inſulæ, ſeu magis ſcopuli ſub Thracio Boſphoro, modicó ſpatio inter ſe diſtantes. Vnde factus eſt locus Poëtarum fabulis, qui Cyaneas inter ſe concurrere tradiderunt, quod ex adverſo intrantibus geminæ cernebantur: nave verò paululùm in alterum latus deflexa, unã tantùm videbatur. Multa de his inſulis mentio eſt apud Valer. Flaccum lib. 4. Argonaut. à quo modò Cyaneæ, modò etiam Symplegades appellantur.

Cyănēē, κυανέη, Per quatuor ſyllabas, Mæandri Phrygii fluminis filia fuiſſe fertur, quæ à Mileto compreſſa Caunum & Byblida genuit. Ovid. lib. 9. Metam. Hic tibi, dum ſequitur patriæ curvamina ripę, Filia Mæandri toties redeũtis eõdem Cognita Cyanee præſtanti corpore nympha, Byblida cum Cauno prolem eſt enixa gemellam. Producit autem hæc dictio primam ſyllabam & ultimam: duas autẽ medias corripit, ut conficiat choriambum. Cyane verò pro Siciliæ nympha, tres tantùm habet ſyllabas, quarũ ultima longa eſt, duæ priores corripiuntur, ut ſit anapæſtus. Quod ideò admonere viſum eſt, quòd non paucos etiam magni nominis viros hic in errorem videamus impegiſſe.

Cyanippus, κυάνιππος, Syracuſanus fuit, qui quum Bacchi Orgia contemneret, ab irato deo tanta perfuſus eſt ebrietate, ut filiæ Cyanæ in tenebris, quanvis reluctanti, vitium intulerit. Filia verò cognito ex anulo, quem violatori detraxerat, parente, tunc quidem, ut potuit, dolorem diſſimulavit. Poſtea autem ingenti exorta peſtilentia, quum ab Apolline remediũ promitteretur, ſi ab autore flagitii pœnas ſumerent, admirantibus omnibus quod nam eſſet tantum ſcelus, quod etiã Superis curæ eſſet autoris morte expiari: conſcia rerum Cyane arreptum capillis patrem ad aram pertraxit, eoque primùm mactato, ſibi quoque manus intulit. Autor Plutarch. in Parallelis.

Cyanos, κύανος, Fluvius eſt Cholcidis, qui juxta Aeam oppidum in Phaſim influit. Autor Plin. lib. 6. cap. 4.

Cyaxares, κυαξάρης, Phraortis regis Perſarum & Medorum filius, cui ſucceſſit in regno. Hic primus Aſiæ populos in provincias diſtinxit, primusq; in ſuum quoſq; ordinẽ diſtribuit, haſtatos, ſagittarios, equites, quũ priùs omnia promiſcua eſſent atq; implicita. Hic & cum Lydis ſigna cõtulit, & omnem trans Halym flumen Aſiam ſibi ſubjecit. Mortuus eſt quadrageſimo imperii ſui anno. Ejusq; filius Aſtyages in ejus locum ſuffectus eſt. Autor Herod. lib. 1.

Cyarda, κύαρδα, Vrbs Cariæ, à Cyardo rege Carum, Bargaſi filio, ut autor eſt Stephan.

Cythus, fluminis nomen, Vide CYATHVS in APPELL.

Cybale, ancilla fuit pauperis cujuſdã Symili, cujus paupertatem deſcribit Virg. in Moreto:

Eruit intereà Cybale quoq; ſedula panem.

Cybaſſus, κύβασσος, Vrbs Cariæ, ut Cabaſſus: de qua ſuprà. Stephan.

Cybĕle, es, pen. corr. (nam ut docet Servius, anapæſtus eſt in dictione Cybele) κυβέλη, Fuit uxor Saturni: ità dicta à Cybelo Phrygiæ monte ſeu oppido, ubi ejus ſacra primò ſunt inſtituta. [Ger. Die Fraw Saturni ein Muoter der Göttern.] Scribit Feſtus, Cybelem à nonnullis ideò appellatam: quia ageret homines in furorem: quippe Græci κυβιστᾶν, in caput ſaltare dicunt, qua voce etiam utitur Homer. 16. Iliad. Sacerdotum autem Cybeles proprium erat caput rotare Suidas ſcribit, Rheã quoq; vocari, & montanam eſſe deam: ideò vehi leonum jugo. Cynædi ei ſacri ſunt. ❡ Hæc primùm Ops, & terra dicta fuit, quòd ſit dea telluris: quæ & Veſta dicitur, propter quod curru vehi à poëtis fingitur: quia terra pendet in aëre: & rotis ſuſtineri: quia rotatur ſemper & volvitur mundus. Mater deûm: quia omnia gignit. Diodorus lib. 4. cap. 5. cui aſſentitur Euſebius de præparatione Evang. ideo Cybelem matrem omnium dictam tradit: quòd cùm eſſet medicinæ perita, puerorum morbis remedia adinvenit, quamobrem & Orpheus de ea ſic ait: [illegible] Et mater alma, ab alendo. Et mater Phrygia, à monte Phrygiæ, quem plurali numero Dindyma vocant. In eo ſacra ſibi per Corybantes inſtituit: à quo Dindyme & Dindymene à nonnullis vocatur. Item Berecyntia, à monte Phrygiæ, qui βερέκυντος appellatur. Et Pales, quòd ſit pabulorum dea. Rhea, ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, fluo, quod terra affluens ſit omnium rerum. Idæa & Phrygia, & Peſſinuntia à Peſſinunte Phrygiæ emporio. Claudian. Turrigeramq; petit Cybelem. Martialis: Et Cybeles picto ſtat Corybante tholus. Ex Apuleii ſententia eadem erat dea Cybele, Bellona, & Iſis. ❡ Quandoque tamen metri gratia ſcribitur per duplex l, & fit Cybelle: ut ſit Bacchius pes, ex prima brevi, & duabus longis. Propertius: Vertice turrigero juxta dea magna Cybele. Lucan. lib. 1: Et lotam parvo revocant Almone Cybellen.

Cybele ſic dicta eſt, autore Servio, ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, quod ſemper Galli per furorem, motu capitis comam rotantes ululatu futura pronunciabant. Lucan.

-crinemq; rotantes
Sanguinei populis ulularunt triſtia Galli.

Alii a Cybelo, Phrygię monte, deam dici volunt, cujus meminit Virgil. lib. 3 Aeneid.

Hinc mater cultrix Cybeli, Corybantiaq; æra,
Idæumq; nemus, *&c.*

Scripſit Martian. Capella, Cubum Cybeleio nomini dicatum, indeq; ἀπὸ τοῦ κύβου deam ipſam appellationem duxiſſe. Cybelle porrò & Cybele ſcribitur. Nam Cybelle, Bacchius eſt, inquit Servius: Cybele anapæſtus.

Cybelea, pen. prod. κυβέλεια, Vrbs Ioniæ. Steph. Herod. Cybelen, κυβέλην, Phœniciæ civitatem eſſe ſcribit. Eſt & Cybella, κύβελλα, Phrygiæ, & Cybellon, κύβελλον, templum à quo Rhea Cybele dicitur, & κυβελληγενής, ἐ κυβέλλη. Steph.

Cybelus, Mons Phrygiæ.

Cybira, κύβιρα, Oppidum eſt Lycaoniæ, non procul à Mæandro fluvio. Cic. 6. in Verr. Hoſce opinor Cybiræ, quũ in ſuſpicionem veniſſent civibus, fanum expilaſſe Apollinis. Et paulò pòſt: Cybiram cum inanibus ſyngraphis venerat.

Cybirates, vel Cybirata, nomen gentile. Cicer. 6. in Verr. cõ quum venio, Prætor quieſcebat, fratres illi Cybiratę inambulabant.

Cybiraticus, a, um, poſſeſſivum. Cicero 6. in Verr. Immittebantur illicò Cybiratici illi canes, qui inveſtigabant & perſcrutabantur omnia. ❡ Sunt qui ſcribant Cibyra tranſpoſitis vocalibus.

Cybus, κύβος, Vrbs Ionum in Libya Phœnicum. Vide Stephanum. Inde Cybites Steph.

Cychreus, κυχρεύς, Neptuni & Salaminis filius, qui ob morũ aſperitatem, ὄφις: hoc eſt, ſerpens, cognominatus eſt. Hũc Eurylochus, quum inſulam vaſtaret, expulit: ſuſcepit autem eum Ceres in Eleuſine, ſuumq; fecit ſacerdotem. Ab hujus etiam nomine Salamis inſula aliquandiu Cychrea appellata eſt. Vide Stephanum.

Cyclădēs, pen. corr. [κυκλάδες. Ger. Inſlen in dem Aegeiſchen Meer ſo ringsweiß herumb ligen.] Inſulæ ſunt maris Aegæi, teſte Strabone lib. 10, circa Delum in orbem ſitæ: unde & nomen acceperunt. Ovidius 1. Triſtium: Cycladas Aegæas obſtupuiſſe reor. Alii dicunt vocari Cyclades, non quia in rotunditatem ſitę ſunt: ſed quòd longo ordine ęas circuire neceſſe ſit propter promõtoria. Vnde & Virgilius dixit 3. Aeneid. -ſparſasq; per æquor Cyclades. Sunt autem numero quinquaginta tres. Advertendum obiter, & morem eſſe veteribus autoribus ut quæ ſint Sporades, Cyclades etiam vocent, contraq; Hermolao teſte. Cycladarum meminit Plin. earumq; nomina perſequitur capite 12. libro 4. Et item Pompon. libro 2. Varro libro 10.

Cycli, [κύκλοι. Ger. Kauffheuſer zu Athen, in welchen man eygene Leut feil hat.] Quaſi circuli, loca erant Athenis, ubi mancipia vænibant. Id autem nomen eſt tractũ à circulari circumſiſtentia vendendorũ. Cyclus enim rotũdum ſignificat. Quare Menãder ait: Itaq; ego mihi videor per deos immortales videre, me ipſum indutum currere circum, ac vænire.

Cycloborus, Fluvius quidã Atticæ, ingenti ſtrepitu defluens. Vnde proverbium: Cyclobori vox, κυκλοβόρου φωνή. De clamoſis & vehementer obſtreperis dicebatur, aut quibus vox eſſet vinoſa, raucaq;.

Cyclōpēs, pen. prod. [κύκλωπες. Ger. Einäugige Reſen bey dem Berg Aethna in Sicilia ſo das Schmidwerck ſollen erfunden haben.] Gygantes, ſeu populi antiquiſſimi in Sicilia, juxta Aethnam, uno oculo in fronte, qui omnium primi æris fabricam inve-

niſſe

niſſe traduntur. Hinc factus eſt locus fabulæ, ut Vulcani miniſtri credãtur, & Iovi fulmina fabricare. Inter hos præcipuè celebrantur à Poëtis Brontes, Steropes, & Pyracmon. Virg. li. 8. Aen. Ferrũ exercebãt vaſto Cyclopes in antro, Brontesq;, Steropesq;, & nudus membra Pyracmon, *&c.* ¶ Dicti aũt putantur Cyclopes ab eo quòd oculum unũ orbicularem in fronte haberent. κύκλος enim circulum ſignificat, ὤψ lumen ſive oculum. ¶ Cyclopis donũ, κύκλωπος δῶρον, pro eo quod eſt, munus inutile. Lucianus ἐν ἐναλίοις.

Cyclopeus, adjectivum, κυκλώπειος, ut tela Cyclopea: id eſt, fulmina, Claud. lib. 1. de Raptu Proſerpinæ. ¶ Cyclopea vita, κυκλώπειος βίος, pro vita vehementer effœta ac barbara, quæ neque legibus, neq; diſciplina civili conſtet, neque religione deorum gubernetur.

Cyda, κύδας, proprium viri Cretenſis, de quo ſic Cic. Philip. 5. ſcribit: Antelignanos inquit, & manipulares, & alaudas judices ſe cõſtituiſſe dicebat: ille legit alcatores, legit exules, legit Græcos. O' conſeſſum Iudicũ præclarum, ô dignitatẽ concilii admirandam: pavet animus apud concilium illud pro reo dicere. Cydam Cretenſem, portentũ inſulæ, hominem audaciſſimum & perditiſſimum, ſed fac ita non eſſe: num Latinè ſcit? num ex judicũ genere & forma? num leges noſtras, moréſve novit? nũ deniq; homines? eſt enim vobis Creta notior, quàm Roma Cydæ. Hæc Cicero.

Cydathenæum, κυδαθήναιον, Vicus in Pandionide tribu, patria Democharis Comici. Steph.

Cydias, κυδίας, Pictor, Argonautas pinxit: quam tabulam CLXIIII, talentis Hortenſius orator mercatus eſt, eique ædem in Tuſculano ſuo fecit: emicuit Olympiade CXIIII. Plin. lib. 35.

Cydippe, κυδίππη, Puella quædam pomo decepta ab Acontio, ut ſuperiùs traditum. Ovid. Litera Cydippem pomo prælata fefellit: Inſciaq; eſt verbis capta puella ſuis. Eſt etiam nomen nymphæ apud Maronem lib. 4. Georg.

Cydna, æ, κύδνα, Olim dicta fuit Macedoniæ civitas, quæ poſtea corrupto nomine Pydna appellata eſt. Autor Steph.

Cydnus. [κύδνος. Ger. Ein fluß dieſes Nammens in Cilicien / deß Waſſer ſoll den Podagraͤniſchen jhren Schmertzen miltern.] Ciliciæ fluvius, nõ ſpatio aquarũ, ſed liquore memorabilis: quippe leni tractu è fontibus labens, puro ſolo excipitur, nec torrentes incurrunt. Hujus meminit Iuſtinus lib. 11. Tibul. lib. 1: Atte Cydne canam, tacitis qui leniter undis Cæruleus placidis per vada ſerpis aquis. Solinus ſcribit amnem à candore, Syrorum lingua nomen ſortitum. Vitruv. lib. 8. cap. 3: Cydni aquas podagra laborantibus apprimè ſalubres eſſe, cruribus in eis merſis: de cujus rei experientia Caſſii Parmenſis poëtæ ad M. Antonium epiſtola extitit, ut Plin. li. 13 adnotavit. Conſtat Apolloniũ aliquãdo per epiſtolam Tarſenſes ſuggillaſſe, quod juxta Cydni aquas otiantes, tanquam fluviatiles aves ſederent, quietæ aquæ pulchritudine quaſi ebrii facti, ut Philoſtratus ſcribit lib. 1. de ejus vita.

Cydnus, Fluvius amœnus & ſaluber, ex Tauro mõte oriens, ut inquit Strabo, Tarſum urbem dividit, à candido colore nomen habens. Syri enim quicquid candidum eſt, Cydnum vocant. Priſcian.

Flexilis & Cydnus dirimit qui flumine Tarſon.

Cydonia, κυδωνία, Inſula eſt ante Lesbon, dicente Plin. lib. 2. cap. 103: In Cydonia inſula (*inquit*) ante Lesbon fons eſt calidus, Vere tantùm fluit.

Cydon, [κυδωνία. Ger. Ein Statt in der Inſel Candia / heißt jetzt *Cania.*] Inſigne Cretæ oppidum: à quo Cydonius, a, um. Ovidius 2. Metamorph. Cydonio fundebat ſpicula cornu. Virgil. Aeglog. 10: Ire: libet Partho torquere Cydonia cornu Spicula. Malum Cydonium, quod Cato primus omnium Coroneũ appellavit. Plin. lib. 15. cap. 11: His proxima amplitudine mala, quæ vocamus *Cotonea*, & Græci *Cydonia*, ex Creta inſula advecta. Serenus: Aut quæ poma Cydon Cretæis miſit ab oris. ¶ Eſt item viri proprium apud Virgilium 10. Aeneidos: Dum ſequeris Clytium infœlix nova gaudia Cydon. Quem in locum Servius annotavit nomen hoc, quum viri proprium eſt, priorem producere: eandemque corripere quando eſt gentile. Idem 12. Aeneid. Parthus ſive Cydon telum immedicabile torſit. κυδωνία Stephan. Vrbs Cretæ, Apollonia priùs dicta, à Cydone Apollinis filio, & Achallidis filiæ Minois. Alia eſt Siciliæ: tertia Libyæ: civis, Cydoniates, Cydon, Cydonius.

Cydonæus, Cydonicus, & fœm. gen. Cydonis. ¶ Eſt & Cydon viri proprium apud Virgil. 10. Aeneid. Vide Servium. κύδων.

Cydonitem appellat Palladius cibum ex cydoniis decoctis, & melle confectum. *Cotoneatum* vulgò dicitur. [Ger. Kuttenmuß / oder Kuttenlatwerg. Pol. *Pigwowe confect.* Vng. *Bi alma liktárom.*]

Cydones, dicuntur urbis hujus incolæ, ſagittandi peritia inſignes.

Cydræ, κύδραι, Vrbs Bryſarũ in Theſſalia, ut videtur, alias Cydriæ. Strab lib. 7. Steph.

Cylbiani montes, κυλβιανὰ ὄρη, Majoris Phrygiæ colles ſunt, ex quibus Cayſter fluvius profluit. Autor Plin. lib. 5. cap. 29.

Cyllarus, κύλλαρος, Nomen unius ex Centauris. Fuit etiã hoc nomine equus Pollucis, ſecundùm Virg. 3. Georg. Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus, & quorũ Graii meminẽre poetæ. Atqui Caſtor equorum domitor fuit: ſed fratrem pro fratre poſuit, poëtica licentia: ut, Quas illi Philomela dapes, pro Progne. Item: Revocato à ſanguine Teucri, pro Dardano. Hæc Servius.

Cylleborus, Sthelenis filius, qui vigente bello Troiano cum Aegiale Diomedis uxore conſuetudinem habuit Servius.

Cyllene, κυλλήνη, Mons Arcadiæ, in quo Maja à Iove compreſſa, Mercuriũ peperit, ut autor eſt Virgil. lib. 8. Aen. Vobis Mercurius pater eſt, quẽ candida Maja Cyllenes gelido conceptũ vertice fudit. ¶ Hinc Cyllenis, idos patronymicum.

Cyllenius, pen. prod. & per duplex l. [κυλλήνιος. Ger. Ein junam Mercurii.] Mercurius dicitur, ſive quòd omnem rem ſermone ſine manibus conficiat: quibus partibus corporis qui carent, κυλλοὶ vocantur: ſive quod in Cyllenia via, aut circa Cyllene Nympha fuerit educatus: ſive quòd in Cyllene Arcadiæ mõte fuerit genitus: quam opinionẽ ipſe etiã Virg. ſequitur lib. 8. Aeneid. cujus verba citavimus paulò antè in dictione Cyllene. Lucan. lib. 1: motuq; celer Cyllenius hæret.

Cyma, κύμη, & y more Latinorum in u mutata, Cuma, Oppidum eſt Aeolidis: de quo vide paulò antè copioſiùs in dictione CVMA.

Cymes, κύμης, ὁ. Vide Sirenuſſæ apud Steph.

Cyminus, pen. corr. [Ger. Ein See in Hetruria / ſo jetzt in Italien nennen / *Lago de Vico.*] Hetruriæ lacus eſt, ad ſex millia paſſuum ab urbe Viterbio, Cymino monti ſuppoſitus, qui vulgò *Monte de Viterbo* dicitur: ut Appianus oſtendit. De hujus lacus origine talia refert Servius: Aliquando Herculem ad hos populos veniſſe: & quum à ſingulis provocaretur, ad virium oſtentationem, vectem ferreum, quo exercebatur, humi defixiſſe quem quum nemo illorum poſſet evellere, Herculem eundem cum ſuſtuliſſe: tantamque repentè aquæ vim erupiſſe, ut Cyminum effecerit lacum. Hæc Servius, illud Virgilii explicans Aeneid. 7: Hi Soractis habent arces, Flaminiaq; arva, Et Cymini cum monte lacum, lucoſq; Capenos.

Cymodoce, vel Cymodocea, [κυμοδόκη. Ger. Ein Meerſchwe die Wellenſtillerin.] Nympha Marina, Nerei & Doridis filia, à placandis fluctibus ita dicta, teſte Heſiodo in Theog. Virgil. 10. Aen. Cymodoceã enumerat inter eas, quæ ex navibus Aeneæ in Nymphas marinas cõmutatę fuerunt. Quarum (*inquit*) quæ fandi doctiſſima, Cymodocea.

Cymothoe, pen. corr. κυμοθόη, Nympha marina Nerei, & Doridis filia, teſte Heſiodo in Theogon. ita dicta, quòd per fluctus diſcurrat. Virg. 1. Aeneid. Cymothoe, ſimul & Triton adnixus, acuto Detrudunt naves ſcopulo. ¶ Eſt itẽ Cymothoe, fons notiſſimus Achaiæ propriè dictæ, inter Panai & Pharas urbes: cujus meminit Plin. lib. 4. cap. 5.

Cynætha, κυναίθα. Oppidum eſt Arcadiæ juxta Lepreon ita dictum ab Aeneæ ſocio vita functo, & ſepulto, ut placet Dionyſio lib. 1. Antiq. Aut (ut Stephanus mavult) à Cynætho Lycaonis filio. Meminit hujus oppidi Plin. lib. 4. cap. 6.

Cynamolgi, Indiæ populi.

Cynapes, Fluvius, Vide PARTHENI.

Cynaras, Vide CINIRAS.

Cyne, κύνη, Vrbs Lydiæ gentiles Cynei vel Cynii, Steph.

Cynegirus. [Ger. Ein Burger von Athen der ſich in einem Schiffſtreit wider die Perſer handtveſt gehalten hat.] Athenienſis civis fuit, cujus tãta in prælio navali adverſus Perſas initio fuit pertinacia, ut navem hoſtium dextera injecta vi retinuerit: eaq; amputata, injecerit & ſiniſtram: quam & ipſam quum amiſiſſet, mordicus navim arripuit. Refertur à Valerio Maximo, & Iuſtino Trogi abbreviatore.

Cyneas, Vide CINEAS.

Cyneſii, κυνήσιοι, Vide CYNTICVM.

Cyneta, κυνέτεια, Vrbs in Argo vel Argolica. Steph.

Cynetes, κυνήτες, Vide CYNTICVM.

Cynetos, Vide CYTHOS.

Cynici, pen. corr. [κυνικοί. Ger. Hündiſche Philoſophi iſt ein ſonderbare Sect geweſen / ſo dieſen nammen gehabt hat / entweders daß ſie ſich gegen jederman ſcheltbar und beiſſig erzeigten / oder von wegen Hündiſcher unſchamhafftigkeit.] Philoſophi quidã ſectatores Antiſthenis, qui primus novum hoc philoſophiæ genus introduxit: ita dicti, ſive à Cynoſarge gymnaſio, in quo Antiſthenes profitebatur: ſive à canina mordacitate, qua in hominum vitas nullo diſcrimine invehebantur: aut (ut alii volunt) ab eo quòd canum more in propatulo coire non dubitarent: quemadmodum de Crate & Hipparchia tradit Laërtius. Ex hac ſecta fuit Diogenes ille Cynicus, qui aliquando interrogatus,

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

gatus, quare Canis appellaretur? Quia (*inquit*) dantibus abblandior, non dantibus allatro: malos autem mordeo. Cynici, Diocle teſte, philoſophiam naturalem & rationalem tollebant, ſoliq; morali innitebantur. Repudiabant liberales artes, maximè Geometriam & Muſicam. Placebat eis finem eſſe ſecundùm virtutem vivere. Nobilitatem & divitias abjiciebant. Quare ſectam hanc vitæ conſentaneam non eſſe plures putaverunt. De his vide Cic. lib. 1. Offic.

Cyniphis, Vide CYNIPS in APPELL.

Cynnă, κύννα, Oppidum prope Heracleam Ponticam: ita dictum ab una Amazonum, vel à Cynno Gigante, fratre Cœi. ¶ Hinc fit gentile Cynnæus, κυνναῖος, Steph.

Cynŏcĕphăli, pen. corr. [κυνοκέφαλοι. Ger. Völcker im Mohrenlandt mit Hundsköpffen. Vng. *Eb fejü emberek*. Ang. *Men that hath dog ges heades*.] Homines ſunt, vel feræ in Aethiopia canina habentes capita, cætera homines ſimiles, violenti ad ſaltum feri morſu. August. lib. 16. de Civit. Dei: Quid dicam de Cynocephalis, quorum canina capita, atq; ipſe latratus magis beſtias quàm homines confitentur? Plin. lib. 7: Gens, quã Cynocephalos vocamus, lacte vivunt. Idem lib. 8. cap. 54: Efferatior Cynocephalis natura, ſicut mitiſſima Satyris. Vide Gell. lib. 1. cap. 5.

Cynopolis, κυνόπολις, Oppidum eſt ad Occidentalem Nili ripam, inter Oxyrinchum & Hermopolim, in quo Anubis colitur, canibusq; cibaria publica ſunt aſſignata. Autor Strabo libro 17. Ab hoc oppido vicinus mons Cynopolites dicitur à Plin. lib. 5. cap. 9.

Cynos Cephale, κυνὸς κεφαλή, Collis Theſſaliæ, & parva regio Thebanorum, Pindari Patria. Steph.

Cynoſarges, κυνόσαργες, Gymnaſiũ in Attica: ſic dictum à cãne albo, qui ſacrificante Diomo, rapta femora in hunc locum detulit, in hoc gymnaſio Ariſtippus Cyrenaicę ſectę princeps, Philoſophiam ſolebat profiteri. Autor Laërtius in vita ejus. Hinc, Ad Cynoſarges, ἐς κυνόσαργες, proverbiali convitio dicebatur, quemadmodum *ἐς μακαρίαν* & *ἐς κόρακας*.

Cynoſſema, atis, κυνὸς σῆμα. Locus eſt Troadis ad Helleſpontum, Hecubæ ſepulchro nobilitatus: Latinè Canis tumulũ interpretari poſſumus. [Ger. *Hundsgrab*.] Fabulãtur enim Poëtæ, Hecubam, quum in Græciã abduceretur captiva poſt exitum patriæ, ac ſuorum, ibi doloris impatientia in canem eſſe cõverſam, & deinde ſepultam. Meminit hujus loci Plin. lib. 4. cap. 11. & Strab. lib. 13. ¶ Eſt item ejuſdẽ nominis locus in Libya Mareotide, cujus meminit Stephanus, & Strabo lib. 17.

Cynŏſūră, pen. prod. [κυνόσουρα. Ger. Der klein Bär, iſt ein geſtirn im Mitternacht bey des Himmels wirbel. Pol. *Gwiazdy ſiedm, bab-ky pospolicye rzekącz, albo takie Astrologowie nazywaia niedzwiedzyem mnieyſzym* P. G. Vng. *Gönczöl ſzekere*.] Sidus Septentrionale, ex ſeptẽ conſtans ſtellis, quod & *Vrſam minorem* appellamus. Alio nomine etiam Phœnice appellatur, teſte Higino, eò quòd à Phœnicibus inter navigantium potiſſimùm ſoleat obſervari, quemadmodum & Elice hoc eſt, Vrſa major, à Græcis nautis. Ovid. de Triſt. lib. Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura notatur Simoniis: Elicen Graja carina notet.

Cynthĭă, κυνθία, Diana dicta, à Cyntho monte in Delo inſula, in quo nata cum Phœbo eſt: unde & Apollo Cynthius, & ipſa Delos Cynthia appellatur. Hic mons tantæ celſitudinis eſſe fertur, ut umbra ſua totius inſulæ ambitũ tegat. Propertius quoq; amicã ſuam Cynthiam ob pulchritudinem vocavit, quæ priùs Hoſtilia dicebatur.

Cynthus, [κύνθος. Ger. Ein vaſt hoher Berg in der Inſel Delos/ auff welchem Apollo/vñ Diana erboren ſind.] Deli mons uſq; adeò editus, ut totam inſulam dicatur obumbrare. In hoc monte Apollo & Diana nati traduntur, quorum alter Cynthius, altera Cynthia ab eo appellari ſunt Virgil. 2. Aen. Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi Exercet Diana choros. Lucan. lib. 1: Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu. Vide CYNTHIA. Steph. totam Delum, olim Cynthum dictam ſcribit, à Cyntho Oceani filio: quoſdã verò malè ſentire, quòd Zacynthus vocitata ſit. Idem in Cyntho: gentile, *inquit*, eſt Cynthius & Cynthiotes.

Cynticum, κυνητικόν, Locus Iberiæ prope Oceanum: incolæ Cynetes & Cyneſii, Steph.

Cynura, κυνουρα, Vrbs in Argo: vel Argolica, à Cynuro filio Perſei: inde Cynurus, Cynuriẽs, & Cynuris fœm. gen. Steph.

Cynus, κῦνος Stephano, Locrorum Epicnemediorum oppidum eſt: ſive, ut quibuſdã placet, navale, cujus meminit Plin. lib. 4. cap. 6. & Liv. lib. 8. Decad. 3.

Cyŏnneſus, κυνόνησος, Nili fluvii inſula eſt, non procul à majori Delta, e regione oppidi, quod Cynopolis appellatur. Autor Ptolemæus lib. 4. cap. 5.

Cyon, κύων, Vrbs Cariæ, Canebium antè dictã: gentile, Cyrites. Stephanus.

Cypæthă, κύπαιθα, Vrbs Libyæ. Steph.

Cypariſſa, κυπάρισσα, Oppidum eſt agri Meſſeniaci, ad mare ſitum, à quo vicinus portus Cypariſſus appellatur. Autor Plinius lib. 4. cap. 5. Strabo lib. 8. Cypariſſiam vocat: Ptolemæus Cypariſſas plurali numero.

Cypariſſæa, κυπαρισσαία, Vrbs Triphyliæ, quæ vocabatur Eranna: inde Minerva Cypariſſæa, Stephan. Qui Cypariſſæam quoq; Phocidis urbem, aliàs Eranum dictam meminit.

Cypariſſeis, Vrbs Meſſeniæ, gentile Cypariſſeentius. Homer. *ἠ κυπαρισσήεντα, ἠ ἀμφιγένειαν ἔναιον*.

Cypăriſſus, κυπάρισσος, Fuit nomen pueri, Telephi filii, quẽ Apollo amavit, poſtea in ſui nominis arborem cõverſi. ¶ Dicitur etiam per ſinæreſim Cypreſſus: deinde converſione y in u, Cupreſſus. Eſt autem arbor procera, caudice oblongo & recto, folio pini, ſed carnoſiore, molliòreq;, neq; ita pungente, frõte indecidua, odore vehemẽti. [Ger. *Cypreſſenbaum*.] Duo ejus ſunt genera. Nam quæ ſterilis eſt, fœmina dicitur ad metæ formam in faſtigio convoluta: unde & *κωνοειδὴς* peculiari epitheto appellatur. Cõtrà mas latiùs ſpargit ramos, conosq; profert nuci pineæ non abſimiles, licet multò minores: mira inter arbores fœcunditate, quippe quæ trifera eſt, fructusq; habet & Ianuario & Majo & Septembri maturos, nulli tamen rei utiles, imò potiùs noxios, quemadmodum & ipſa arbor, cujus etiam umbra noxia creditur. ¶ Dicta eſt autem Cypariſſus (ut Didymo placet) *ἀπὸ τοῦ κύειν παρίσως*: hoc eſt, ab ęqualiter pariendo, quòd æqualiter & ramos perdat & fructus. Fructus ejus à figura, Coni appellantur. Vnde ipſa arbor perpetuo epitheto Conifera appellatur. Virgil. Aeriæ quercus, aut coniferæ cypariſſi. Idem: Et teneram ab radice ferens Sylvane cupreſſum. Reliqua vide ſuprà in dictione CVPRESSVS. ¶ Cypariſſi fructus, *κυπαρίσσου καρποί*, De verbis dictu magnificis, cæterùm inutilibus.

Cypaſis, κύπασις, Vrbs circa Helleſpontum. Steph.

Cype, κύπη, Caſtellum Siciliæ: gentile Cypeus. Steph.

Cypra, Vide CVPRA.

Cyphus, κύφος, Vrbs Perrhœbiæ, à Cypho Perrhœbi filio. Homerus: *γουνεὺς δ' ἐκ κύφου ἦγε δύω καὶ εἴκοσι νῆας*. Alia eſt Theſſaliæ: cives Cyphæi. Eſt fluvius Cyphus. Steph.

Cyprium, Sabini bonum appellant: unde Cyprius vicus Romæ appellatus eſt, in quo Sabini in civitatem recepti conſederant: ſic enim à bono omine vocitandum cenſuere.

Cypris, [κύπρος. Ger. Ein groſſe Inſel in dem Meerſchoß ſo eines theils an Ciliciam/anders theils an Syrien ſtoſſet/ heiſt im den italis *Cypro*.] Inſula in Pamphylio mari, in ſinu maximo, qui & Iſſicus dicitur, inter Ciliciam & Syriam, dives & miræ fertilitatis. Vnde & Macaria: hoc eſt, beata olim vocata: maximè et ... luxui dedita: unde & Veneri ſacra. Horat. li. 1. Carm. Sic te diva potens Cypri. Ea quondam novem erat regnorũ ſedes. Vrbes illius præclaræ, Cythera, à quibus Venus dicta eſt Cytherea, Paphos, Palæpaphos, & Salamina. Hæc inter majores noſtri maris inſulas locum ſibi vendicat: à Septentrione Ciliciæ oppoſita: à Meridie Aegyptum ſpectat: ab Oriente Syriam: ab Occidente Pamphyliam. Ambitus inſulæ trium millium, quadringentorum ac viginti ſtadiorum, teſte Strabone lib. 12. ¶ Cyprus etiam dicitur arbuſcula, quæ à Latinis Liguſtrum vocatur, ſemine atro, non abſimili ſambucino acino. Ejus flos in oleo decoquitur, fitque ex eo unguentum quod Cyprinum appellatur. Naſcitur in multis locis, ſed in Cypro inſula odoris ſuavitate præſtat, ideò Cyprus eſt appellata. [κύπρος. Gall. *Vn arbre en Egypte d'une fleur fort blanche, que quelques vns appellent Troëne*. Ital. *Albero liguſtro*. Ger. *Rein* oder gemein Beinhöltzlin. Hiſp. *El arbol dela alheña*. Pol. *Kruſzyna*. Vng. *Fagyalfa*. Ang. *A privet, a tree in Egypt ſo named*.] Plin. lib. 12. cap. 24: Cyprus in Aegypto eſt arbor ziziphi foliis, ſemine coriandri, flore candido odorato. Coquitur hoc in oleo, premiturq; poſtea, quod cyprinum vocatur. Optimum habetur è Canopica, in ripis Nili nata: ſecundum Aſcalone Iudęæ: tertium Cypro inſula odoris ſuavitate.

Cyprĭus, a, um, unde tres parvæ inſulæ, huic propinquæ, Cypriæ nominãtur: & Venus Cypria, ſive quòd in Cypro genita fuerit, ſive quòd ei primùm in Cypro templum ſit conſtitutũ.

Cyprŏgĕniă, pen. prod. [κυπρογένεια. Ger. Die Venus auß Cypren bürtig.] Veneris epitheton eſt, inde tractũ quòd in Cypro inſula nata dicatur. Vtitur hac voce Homerus in Hymnis.

Cyprus, Inſula inter alia nomina Macaria dicta, quã mirè fertilis eſt, in ſinu maximo, qui Iſſicus circa Ciliciã dicitur, ad ortum, occaſumq; Ciliciæ ac Syriæ objecta eſt, novem aliquando regnorum ſedes, ut Plin. li. 5. cap. 31. ſcribit, ſmaragdo, cryſtallo, ære Cyprio cognominato, adamante & alumine nobilis: quam aliquando annexam continenti fuiſſe, idem author lib. 2. ſcribit. De hac vide Strab. lib. 14.

Cypſellă, oppidũ eſt Thraciæ, ut ſcribit Plin. li. 4. ca. 12. Strabo lib. 7. Cypſelũ nominat, κύψελα, Steph. urbs Thraciæ prope Hebrum fluvium: item caſtellum in Arcadia ab Mantineuſibus muris cinctum: gentile Cypſelinus, aut Cypſalenus.

Cypſĕlus, κύψελος, Corynthiorum tyrannus, pater Periandri: ita di-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK Baden-Württemberg

ita dictus ἀπὸ τῆς κυψέλης: hoc eſt, à ciſtula, ſive alveo, ſive (ut Valla ex Herodoto vertit) menſura frumentaria, ſub qua occultatus fuit quum à Corinthiis ad perniciem quæreretur. Vide Herod. lib. 5. & Plutarch. in Sympoſio ſeptem ſapientum.

Cypraſia, Galatiæ urbs, Ptol. Vulgò *Caroſo*.

Cyraunis, Κύραυνις, Inſula juxta Gyzantes (ſic enim lego apud Stephan.) Africæ populos.

Cyrba, Κύρβα, Vrbs Cretæ, Vide HIERAPYTNA.

Cyrbaſa, Κύρβασα, Vrbs Cariæ, Steph.

Cyrbe, Κύρβη, Vrbs Pamphyliæ: gentile Cyrbæus, Steph.

Cyre, Κύρη, Inſula in mari Perſico, Inſularis, Cyræus, Steph.

Cyre, Κυρή, oxytonum, fons in Cyrenaica, Steph.

Cyrene, & Cyrenæ, arum, [קִיר kir. Κυρήνη. Vulgò *Corena*.] Inſigne Libyę oppidum, inter Mareotidem & Zeugitanam provinciam ſitum, unum ex iis quæ Pentapolim efficiunt, à Batto Theræo (quem Callimachus progenitorem ſuum fuiſſe tradit) conditum, & à Cyrene Penei amnis filia, quã Apollo adamatam in eam Libyæ partem trãſtulit, ita nominatum. ❡ Ab hac urbe totus ille Libyæ tractus, inter Africam propriè dictam, & Libyam Marmaricam, ſive Mareotidem intermedius, uno nomine Cyrenæa aut Cyrenaica regio appellatur. Hinc Cyrenaicus, a, um, ut regio Cyrenaica, & philoſophia Cyrenaica, quam Ariſtippus Socraticus Cyreneñ. inſtituit. Hegeſias philoſophus (de quo Cicero lib. 1. Tuſculan.) & Eratoſthenes hiſtoricus Agaclis filius, Cyrenæi fuerunt. Eadem & Pentapolitana Plinio dicitur à quinq; præcipuis urbibus, quarum nomina ſunt hæc, Beronice, Arſinoë, Ptolemais, Apollonia, & ipſa Cyrene. ❡ Ex hac urbe orti ſunt Ariſtippus Socraticus, qui Cyrenaicam Philoſophiam primus inſtituit: item filia hujus Areta, quæ patri in ſchola ſucceſſit: item Ariſtippus cognomento μητροδίδακτος, ſuperioris Ariſtippi nepos, & Aretæ filius: & præter hos Anniceris, qui Cyrenaicam ſectam emendavit: item Callimachus poëta, & Eratoſthenes Mathematicus, ambo ab Aegypti regibus in honore habiti. Quibus etiam à Strabone adduntur Carneades Academicus, & Cronus Apollonius. Dicitur etiam Cyrenites, & Cyrenias fœmin. genere. ❡ Hanc regionem appellat Pentapolitanam, à numero V. urbium, quibus maximè inclyta eſt, quarum hęc ſunt nomina, Beronice, Arſinoë, Ptolemais, Apollonia, ipſaq; Cyrene. Scribit Saluſt. Cyrenenſes magnum ac diuturnum bellum geſſiſſe cum Carthaginienſibus de finibus agrorum. ❡ Eſt & Cyrene nomen urbis in Cypro inſula, quam Cyrus condidit, ex qua natum putant Simonem patrem Alexandri & Rufi, ut eſt apud Evang. Auguſtinus libro de Paſtoribus ſcribit Simonẽ Cyrenæum, qui angariatus eſt, ut Chriſti crucem tolleret, fuiſſe Aphrum, & hanc Cyrenem Africæ contiguam eſſe.

Cyrenæus, a, um, Κυρηναῖος, Cyrenaicus, & Cyrenẽſis, adjectiva.

Cyrenaica, regio Africę eſt: eam Strabo lib. ult. à Thereis Gręcis conditam eſſe ſcribit, qui ex Laconica profecti Theram inſulam priùs incoluerint, hinc in continente Cyrenem ędificaverint. Ex horum numero fuit Battus quidam, qui Cyrenes condendæ fuit autor, quod alibi idem Strabo indicat. Inde Battiadas Cyrenenſes Silius nominat lib. 2:

Nec non Cyrene Pelopei ſtirpe nepotis
Battiadas parvos, fidei ſtimulavit in arma.

Idem libro 2:

-& iniquo ſole cadentes Battiadas. De Cyrene multa Straboni conſentanea Herodotus refert in Melpomene. Diodorus Siculus lib. 5. ſcribit ex quorũdam ſententia huic urbi nomen inditum à Cyrene Hypſei filia, quæ quum apud Peleum virgo educaretur, Apollo ejus forma captus, raptam virginẽ in Libyam ad ea loca, in quibus poſtmodum civitas condita eſt, aſportavit. Ex ea filios ſuſcepit quatuor, Ariſteum, Nomiũ, Anteum, & Argum, aliàs Auctonum, & Argeum. Eam regionem fertiliſſimam eſſe tradit Herodotus in fine lib. 4.

Cyrenaici Philoſophi, Ab Ariſtippo Cyrenæo, primo ſectæ ejus autore nomen traxerunt, qui ſummum bonum corporis voluptate metiebantur. Cicer. Tuſc. quæſt. lib. 3: Atqui ab Ariſtippo Cyrenaici philoſophi nominati, omne bonum in voluptate poſuerunt, virtutemq; cenſuerũt ob eam rem eſſe laudandam, quòd efficiens eſſet voluptatis. Horum ſecta poſtea ex ſimplici triplex eſt effecta, aliis ſe ab Hegeſia Hegeſiacos: aliis ab Anniceride Annicerios: nonnullis etiam à Theodoro Theodoreos nomĩnantibus: qua de re vide Diogenem Laërtium in vita Ariſtippi.

Cyrenius, conſularis Romanus, præſes in Syriam miſſus ab Auguſto Imp. Hic cenſum in tota Syria egit, eo ipſo anno quo Chriſtus natus eſt, Luc. 2. Vide Ioſeph. lib. 19. cap. 1. Erat autẽ cenſus æſtimatio facultatum, ut ſcirent Romani, quantum in ſingulis provinciis opum eſſet, quæ onera ſuſtinere, & quantas copias ſingulæ regiones alere poſſent.

Cyres, etis, Κύρης, nomen urbis, ut Phrages, Mendes, Adrymes: gentile, Cyreſius, Steph.

Cyrillus, Κύριλλος, Diaconus fuit Heliopolitanus (eſt autem Heliopolis hęc civitas inſignis ad Libanum montem ſita) (qui imperante Conſtantino plurima Ethnicorum idola cõtrivit. Cujus rei illi memores ſub Iuliano principe, vivo ventrem exſecuerunt, jecurq; inde exemptum deguſtaverunt. Autor Suidas. ❡ Cyrillus item Alexandrinus præſul edidit variarũ hypotheſeon tractatus, Homilias plurimas, quibus utũtur Græci: præterea adverſus Neſtorium epiſtolas, quibus omnia occulta ejus venena refellit. Is vixit tẽporibus Iuliani principis. ❡ Cyrillus præterea Hieroſolymitanus præſul, ſæpè pulſus ab Eccleſia, & receptus: ad extremum ſub Theodoſio principe octo annos in ſua ſede perſeveravit: extant ejus Catecheſes. Hæc Hieronymus.

Cyrinus, Κυρῖνος, Romanus, cũ Baſilide & Nabore ſub Diocletiano paſſus, ac ſepultus tertio ab urbe lapide. Ex Volater.

Cyrnii, Κύρνιοι, Indię populi vivaciſſimi, ut quos ad centeſimũ quadrageſimum annum vitam extendere proditum ſit ab Iſigono, referente Plin. lib. 7. cap. 2.

Cyrnus. [Κύρνος. Ger. Die Inſel Corſica im Ligustiſchen Meer gelegen. Vulgò *Corſega*.] Inſula eſt in mari Liguſtico, quam Latini Corſicam dicunt, longa paſſuum centum quinquaginta millia, lata majore ex parte quinquaginta, circuitu trecentorum vigintiduorum millium: diſtans à Vadis Volaterranis ſexaginta duobus millibus paſſuum. Dicta Cyrnus à Cyrno rege, quum anteà Terapne diceretur.

Cyrnia jactura, Κυρνία ἄτη, De magnis ſtipendiis, & expilationibus dicebatur: ob Cyrni inſulæ immanitatem latrociniorum, ac gentis feritatem. ❡ Cyrnia terra, Κυρνία γῆ: dicebatur regio latrociniis infamis, cujuſmodi ferunt olim fuiſſe Cyrnũ. Gens hæc & hodie malè audit apud Italos. Proverbium non ineptè detorquebitur in hominem alieni rapacem ac violentum. In Collectaneis Zenobii per Aldum æditis reperitur Κυρνία ἄτη, Cyrnia noxa. De qua ſuprà.

Cyrneus, a, um, Virgil. Aeglog. 9: Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.

Cyropolis, Κυρούπολις, Civitas in Aſia, quæ etiam Cyrechata, Κυρέσχατα, vocatur, ad finem Perſidis: cives Cyropolitæ, & Cyrechateni. Steph.

Cyrrhei, Vrbs in Helicone, juxta Nyſam. Lucanus

Sed mihi jam numen, nec ſi te pectore vates
Accipiam, Cyrrhea velim ſecreta moventem
Sollicitare Deum, Bacchumq; avertere Nyſa.

Cyrrheſtica regio, à Cyrrho dicta eſt, ubi Cyrrheſtis dea colebatur, quam Minervam interpretantur Plin. & Ptolem. Vide CYRRHVS.

Cyrrhus, Κύῤῥος Stephano, Syrię oppidum, cujus incolæ Cyrrheſtæ Κυῤῥησταὶ dicuntur, & Diana Cyrrheſtis, Κυῤῥηστίς: & regio ipſa, Cyrrheſtica Κυῤῥηστική, cujus meminit & Plin. lib. 5. cap. 23. ❡ Sunt item Cyrrheſtæ, Macedoniæ populi, nõ procul à Pella Alexandri patria, quorum meminit idem Plin. lib. 4. cap. 10.

Cyrſilus, Κυρσίλος, Athenienſis fuit, qui quum videret impetum Perſarum diutiùs ſuſtineri nõ poſſe, civeſq; jam derelinquenda urbe, navibuſq; conſcendendis cogitare, civibus ſuis conſilium dedit, utile quidem (ut ipſi tum videbatur) attamen non ſatis honeſtum, ut Xerxem potiùs reciperent, quàm patriam desererent. Quæ ſentẽtia uſqueadeò civibus diſplicuit, ut ſtatim eum lapidibus obruerint. Autor Cic. 3. Offic.

Cyrtam, Syphacis ſedem in Africa, longius à pelago Io. Honeterus nominat.

Cyrtæi, Κυρταῖοι, Oppidum eſt ad Mare rubrum, in quod Artaxerxes Megabyzum relegavit. Steph.

Cyrtones, Vrbs Bœotiæ, (Κύρτωνες) gentile Κυρτώνιος. A' Cyrtone verò Κυρτώνη, antiquo oppidulo, Cyrtonius fit. Eſt etiam Κυρτώνιος urbs Italiæ: gentile Cyrtoninus.

Cyrtus, Κύρτος, Vrbs Aegypti in mediterraneis, patria Dionyſii medici: gentile, Κυρτός, oxytonum: pro urbe enim barytonũ eſt. Steph.

Cyrus, Κῦρος, Nomen duorum fluviorum, quorum unus Armeniæ & Hiberię fines interluit, & per Albaniam labitur. Oritur in monte Caucaſo. Alter juxta Paſagardas per cavam Perſidem: à quo Cyro majori, qui juxta hunc amnem expoſitus fuit, nomen eſt inditum, teſte Strab. lib. 15.

Cyrus, [כּוֹרֶשׁ choreſch. Κῦρος. Ger. Ein gewaltiger König in Perſia, und Media.] Cambyſis filius ex Mandane Aſtyagis regis filia, & Perſarum, Medorumq; rex, qui primus (ut Iuſt. lib. 1 ſcribit) devicto Aſtyage ultimo Medorum rege, Medorum imperium tranſtulit in Perſas: & ſubacta Aſia, totum Orientem in poteſtatem redegit. Poſtremò, quum bellum Scythis intuliſſet, eoſq; clade magna affeciſſet, Tomyris eo tempore Scytarum regina, compoſitis inſidiis, ducenta millia Perſarum cum ipſo rege trucidavit, ita ut neq; nuntius tantæ cladis ſuperfuerit. Caput Cyri amputatũ, in utrem humano ſanguine plenum conjectum fuit, cum hac exprobratione: Satia te ſanguine quem ſitiſti. Hic primùm Agradatus dictus fuit: & poſtea Cyrus ab ejuſdem nominis fluvio per cavam Perſidem fluente,

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

fluente, juxta quem fuit expoſitus. Res ejus geſtas vide latiùs apud Xenophontem in Pædia. Herod. & Iuſtin. lib. 1. ❡ Fuit præterea ejuſdem nominis poëta quidam Theodoſii junioris temporibus, ab Eudoxia imperatoris uxore propter ingenii fœlicitatem ad ſummos honores evectus. Poſtremò Præſul factus in Cotyleo Phrygiæ, Leone imperante diem obiit. Ex Suida.

Cyte, ſive Cuta, æ, κύτα Stephano, Oppidum eſt Colchidis, Medeæ patria, teſte Stephano, herbis veneficis in primis famoſa.

Cytæus, a, um, adjectivum, κυταῖος. Vnde Virgo Cytæa appellatur Medea à Valerio Flacco lib. 6.

Cytæis, idis, κυταιΐς. Propert. lib. 2: Non hic herba valet, non hic nocturna Cytæis.

Cytæum, κυταῖον, Vrbs Cretæ. Steph.

Cyteorum, Ptolemæo, Cotyrum Plinio, Cappadociæ oppidum, hodie Ceriſo. Vide ne à Cytoro monte dicatur.

Cyterium, κυτήριον, Vrbs Oenotrorum mediterranea: gentile Cyteriotes vel Cyterinus. Steph.

Cythera, orum, pen. prod. κύθηρα, τὰ, Vulgò Cerigo, Inſula eſt contra Cretam, ut ſcribit Strabo, quinq; millia à Maleæ promontorio diſtans, in quam ferunt Venerem primùm vectam concha marina: unde & Cytherea κυθέρεια dicta eſt. Virgil. lib. 10: Eſt Paphos Idaliumq; mihi, ſunt alta Cythera. Idem: Parce metu Cytherea, manent immota tuorum Fata tibi. Degenerat tamen hoc derivativũ à natura ſui primitivi: corripit enim ſecundam ſyllabam, quæ in primitivo producitur. Hanc inſulam Porphyruſſam vocat Ariſtoteles, Porphyrida Plinius, à purpurarum præſtantia. De ea enim lib. 4. cap. 12. ſic ſcribit: Cythera (inquit) cum oppido in Laconico ſinu, anteà Porphyris appellata. Hæc ſita eſt à Maleæ promontorio V. M. paſſuum ancipiti, propter anguſtias ibi navium, ambitu. Hæc Plin. Heſiodus in Theogonia tradit Venerem ab oppido Cytheream cognominatam: Servius autem ab inſula cognominatam tradit.

Cytheriacus, a, um, adjectivum nomen poſſeſſivum, κυθηριακὸς: ut Nectar Cytheriacũ, quod pro ſuavitate Venerea ponitur.

Cytheris, pen. prod. κυθηρὶς, Nobiliſſima meretrix fuit, liberta Volumnii, quæ eodẽ tempore floruit quo Origo, & Arbuſcula meretrices. Hanc Cornelius Gallus poëta ſupra modum adamavit: quo tamen ſpreto Antonium in Galliam ſequuta eſt. Hanc Virgil. Aeglog. 10: Gallum conſolans, commutato nomine Lycoridem vocat. Autor Servius.

Cytheroniades, κυθαιρωνιάδες, Muſæ dicuntur à ſaltu, cui Cytheron nomen eſt. Vide Cythæron: ſic enim ſcribendum.

Cytheron, Mons eſt Bœotiæ, non longè à Thebis, Apollini & Muſis ſacer, à quo Cytherides dicũtur. [Ger. Ein Berg in Boetia den Muſis, vnd Apollini zugeeygnet.] In eo quoq; Bacchi ſacra celebrabant. Virg. 3. Georg.

Rumpe moras: vocat ingenti clamore Cytheron.

Hinc quoq; Cythera & Cythereus, a, um. Vide ſuprà Cythæron, κιθαιρών: ſic enim ſcribendum eſt.

Cytherus, κύθηρος, Vicus in Pãdionide tribu, inde Cytherius, Stephan.

Cythnos, κύθνος, Stephan. Inſula eſt ex Cycladibus, à Cythno primo habitatore ſic appellata. Alio nomine Ophiuſa, ac Dryopis. Ex hac inſula Timantes pictor ortus eſt, qui ab ea Cythnius dicitur. ❡ Cythnicæ, ſive Cythniæ calamitates κύθνιαι συμφοραί. Zenodotus Ariſtotelem autorem citat Cythnios uſq; adeo divexatos, afflictosq; fuiſſe ab Amphitryone, ut in proverbiũ abierint, κύθνιαι συμφοραί, pro maximis cladibus & immenſis calamitatibus.

Cythnius, a, um, κύθνιος, poſſeſſivũ, ut Timantus pictor Cythnius dictus eſt. Steph. juxta Dryopem unam Cycladum ſitam ſcribit, & ipſam quoque ſic nominatam fuiſſe. Meminit etiam Pomp. lib. 2. & Ovid. 7. Metam. Florentemq; Syron Cydnon, planamq; Seriphon.

Cytina, κύτινα, Vrbs Theſſaliæ: civis Cytineus, Steph.

Cytinium, κυτίνιον, una ex tribus Doricis civitatibus: gentile Cytiniates, Stephan.

Cytis, κύτις, Inſula Arabiæ, ubi topazius lapis invenitur. Plin. lib. 6. cap. 29.

Cytorus, per y in prima ſyllaba, pen. prod. κύτωρος, Mons Paphlagoniæ, in quo buxus plurima naſcebatur: unde & buxifer à Catullo dicitur. Virgil. 2. Georg. Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum. Ab hoc, quæ buxea ſunt, Cytoriaca dicũtur. Ovid. 4. Metam. Sæpè Cytoriaco diducit pectine crines. ❡ Fuit & Cytorus, ſive Cytorum civitas, Sinopenſium emporium à Cytoro Phryxi filio conditũ & appellatũ, ut ex Ephori ſententia refert Strabo lib. 12.

Cyzicenus, κυζικηνὸς, Athenienſis philoſophus in Mathematica & in cæteris ſcientiis excellentiſſimus, præcipuè in Geometrica.

Cyzicus, κύζικος, Vulgò Chizico, ſive Cyzicum, Inſula in Propontide, duobus pontibus juncta continenti, habens urbem ejuſdem nominis, mœnibus, arce, & turribus marmoreis: cui nomen indidit Cyzicus rex, quem Iaſon per imprudentiã interemit. De hac Ovid. lib. 1. Faſtor. Hinc Propontiacis hærentem Cyzicon oris, Cyzicon Aemoniæ nobile gẽtis opus. Fuit hæc civitas magnitudine & pulchritudine cũ primis Aſiæ urbibus comparanda, paci & bello apta, tribus armamentariis inclyta, quorum aliud armorum, aliud inſtrumẽtorum, aliud frumẽti erat receptaculum. ❡ Verùm Pius Papa in Aſia hanc Cyricum appellat, non Cyzicũ. Et de Cyzico ſic ſcribit: Nunquid Cyzicus nobis non ſatis conſtat, adeò claritatem rebus adimunt tempora, & nos homunciones diurnam quærimus in hoc ſeculo gloriam, quam potentiſſimæ civitates retinere non potuerunt? Propert. lib. 3: Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos. ❡ Cyzicus, Stephan. urbs eſt Propontidis in Cherſonneſo ſita: alio nomine ἀρκτόνησος: id eſt, Vrſorũ inſula appellata. Homerus Cyzici habitatores, Doliones vocat. De Cherſoneſo vide ſuprà.

Cyzicum, Bithyniæ nobilis civitas: nomen (inquit Põponius lib. 1.) Cyzicus indidit, quem à Minyis imprudentibus, quum Colchos peterent, fuſum acie, cæſumq; accipimus. Hactenus Mela. Hæc civitas arce, mœnibus, portu, turribus marmoreis Aſiaticæ plagæ littora illuſtrat, ut ſcribit Florus in bello Mithridatico, lib. 3. Libera illa aliquando, & agris dives, multoq; in honore à Romanis habita. Lege Strab. lib. 12. De Cyzico Valer. Argon. lib. 2:

Nec procul ad tenuis ſurgit confinia ponti
Vrbs placidis demiſſa jugis, rex divitis agri Cyzicus, &c.

De morte Cyzici regis vide eundem Valeriũ lib. 3. Argonaut. & Hermolaum ſuper cap. 32. lib. 5. Plinii.

Cyzicenus, Denominativum eſt à Cyzico Propontidis inſula. κυζικηνός. ❡ Cyziceni ſtateres, κυζικηνοὶ στατῆρες. De re ſcitè ſcalpta. Nam hi nummi olim celebres erant, quòd eleganter ſcalpti viderentur. Repræſentabant altera parte Cybelem deorũ matrem facie muliebri: altera, leonis imaginem. Aut magis videbitur fortè locus proverbio, quum hominem ſignificamus inæqualem ac ſui diſſimilem: aut qui longè aliud agat quàm præ ſe ferat: quemadmodum Cyziceni ex uno latere Cybelem oſtendebant effœminatam: ex altero leonem. Stater is valebat XXVIII drachmas Atticas: unde & de re magni pretii videtur poſſe dici.

D

DAæ, Daarum, δάαι Stephano, Populi ſunt Scythiæ, ex genere Nomadum, ut autor eſt Servius in illud Virgil. 8. Aen. Indomitiq; Daæ, & pontem indignatus Araxes.

Dacia, [Dacia. Ger. Ein Landtſchafft in Europa ſo gegen Mittag an Thracien ſtoſſet / heißt jetzt Walachia. Pol. Woloska ziemia. Vng. Dacia orszag.] Regio Scythiæ Europeæ, quam quidam Thraciæ partem, quidam conterminam dicunt. Hæc (ut Ptolemæus ſcribit lib. 3. cap. 8.) ad Septentrionem Carpato monte à Sarmatia dividitur: ad Occaſum autem Tibiſco fluvio ab Iazygibus Metanaſtis: ad Meridiem ad Ortum uſq; ad Danubium extenditur. Hujus regionis populi Daci, δάκοι, dicuntur: olim etiam Davi, teſte Strabon, lib. 7. Getis proximi ad ortum: à quibus ſervilia Davorũ & Getarum nomina Athenienſes acceperũt. Vnde in Comœdiis ſervi introduci ſolent, Davi & Getæ nominati. Hodie hæc regio diviſa eſt in quatuor partes. In Valachiã utramq; Moldaviam nimirum & Tranſalpinam, verſus Septentrionem. In Bulgariam ſive Mæſiam inferiorem à parte Orientali. In Serviam ſive Boſnam, quæ & Myſia ſuperior vocata eſt à parte Meridionali. Et deniq; in Tranſylvaniam, Sibenbürgen, à parte Occidentali, quæ diviſa eſt in Schytuliam, Septem caſtra, & Vnniam partes nimirũ quam natio Vngarica incolit. Hi Romanis ſemper reluctabantur. Virg. 8. Aen. Indomitiq; Daæ, & pontem indignatus Araxes. Statius: -frena tenentem Rhenus & attoniti vidit domus ardua Daci.

Dacicus, δακικὸς dictus eſt, qui Daciam ſubegit: ſicut à Germania Germanicus. Iuvenalis: -cum lance beata Dacicus: & ſcripto radiat Germanicus auro.

Dacus, a, um, [δάκος. Pol. Woloſki.] Quod è Dacia. Spartianus: Ad bellum Dacũ Trajanum familiariùs perſequutus eſt.

Dactyli idæi, δάκτυλοι ἰδαῖοι. Iidem qui Corybantes, quos Iovem nutriviſſe ferunt, & ne vagitu puer proderetur, novo luſus genere excogitato, clypeolis æneis inter ſe concurſantes, æris tinnitu & numeroſi pedis compoſitione, qui dactylus inde dictus eſt, Saturnum celaverunt. Idæi autem dicuntur à monte Ida.

Dadicæ, Populi Scythiæ Aſiaticæ apud Herod. lib. 3.

Dadocertum, δαδόκερτον, caſtellum, φρούριον, magnum Armeniæ, inter Mediam, Steph.